



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Summæ Theologicæ Scholasticæ Et Moralis

In Quatuor Partes Distributæ

In qua de Incarnatione Verbi & Mysteriis vitæ Christi, nec non de Sacramentis in genere & singulis in specie succinctè & dilucidè tractatur

Herincx, Wilhelm

Antverpiæ, 1675

§. IV. An Acclesia rectè Continentiam sacris Ordinibus annexuerit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72963](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72963)

§. IV.

An Ecclesia recte Continentiam sacris Ordinibus annexerit?

Resp. Aff. contra Wickes, & Hæreticos recentiores. Probatur: quia Ecclesia potest hoc valide facere, ut patet ex ejus potestate legislativa, & Tridentino sess. 24. can. 9. Potest etiam licite: quia ad hoc cogit justissima causa: nam (ut ait Sotus dist. 37. num. 4.) clericus deputatur ministerio sacro, quod requirit munditiam mentis & carnis, perspicacitatem intellectus, & fervorem affectus, ad quæ omnia disponit continentia, & ad eorum opposita frequentia actus carnalis. Neque in hoc Ecclesia alicui præjudicat: cum neminem cogat ad Ordinem suscipiendum: qui enim non potest vel non vult esse continens, ab ordine abstineat. Confirmatur: quia si Abimelech 1. Regum 21. noluerit dare panem sanctificatum, nisi mundis a mulieribus: quanto amplius munditia ab iisdem requiritur in illis, quorum indies est sumere & offerre Agnum immaculatum, vel saltem offerentibus proximè assistere. Deinde insanum est arguere Ecclesiam in Constitutionibus suis, præsertim adeo antiquis & solemnibus, immo Apostolicis.

Dices I. Apostolus 1. ad Timoth. 3. ait: Oportet Episcopum esse unius uxoris virum. Resp. Apostolum non requirere, ut Episcopus habeat actu uxorem, quam nec ipsemet Apostolus habuit: cum enim nulli alteri præcipiatur habere uxorem, ad quid præciperetur Episcopo? sed vult quod eligendus in Episcopum non sit bigamus, id est non habuerit plures uxores, sive interim unam habuerit, sive nullam. Quod clarè patet ex c. 5. ejusdem Epistolæ, ubi vult in diaconissam eligi viduam, quæ fuerit unius viri uxor; ubi. Apostolus non vult eam actu habere virum, cum supponatur ipsa esse & mansura vidua: adolescentiores enim viduas, quæ postea volunt nubere, prohibet eligi.

Dices II. Apostolus ad Cor. 7. ait:

Propter fornicationem autem unusquisque suam aliam locum uxorem habeat. Resp. Apostolum ibi non præcipere vel consilium, ut omnes contrahant matrimonium; cum ibidem dicat: Dico autem non nuptis & viduis, bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego. Item: Beatior erit, si sic manserit. Unde prædicta verba dirigit ad conjugatos, volens, ne propter conversionem ad fidem recedant à se invicem, sed perseverent in matrimonio prius habito, eoque (nisi obstat impedimentum) castè utantur ob periculum incontinentiæ, quod aliis incurrebant.

Dices III. Juxta Apostolum ad Hebr. 13. Honorabile connubium in omnibus: ergo etiam in sacerdotibus. Resp. Neg. Conf. non enim vult Apostolus, omnibus esse honestum, contrahere matrimonium, etiamsi sit vinculo continentiae adstricti (alioquin contradiceret sibi ipsi 1. ad Timoth. 5. ubi idcirco viduas assumptas in ministerium Ecclesiæ volentes nubere dicit habere damnationem) sed vult matrimonium ejusque usum secundum se esse in omnibus seu ex omni parte honorabile inter personas qualificatas, sive rationem Sacramenti, sive bonum fidei, sive bonum prolis spectes: vel esse honestum in omnibus, id est, apud omnes Gentes. Vel denique hortatur Hebræos, ut matrimonium jam contractum honorabile præstent, nihil committendo contrarium pudicitiae conjugali. Unde subdit: Fornicarios enim & adulteros judicabit Deus.

Dices IV. Prohibere nuptias est proprium Hæreticorum juxta Apostolum 1. ad Timoth. 4. Resp. Apostolum solum velle, quod sit Hæreticorum damnare generaliter nuptias, tamquam naturæ suæ malas, ut quidam Hæretici fecerunt: hoc autem non facit Ecclesia, quæ nuptias manifestè approbat, immo inter Sacramenta recenset; easque tum ob reverentiam sacrarum functionum, tum ob alias Ecclesiæ utilitates, prohibet iocundis, qui se voluntariè in tali statu collocarunt; quod non tangit Apostolus. Solutiones quarumdam aliarum objectionum, & falsarum historiarum, quas solent Hæretici fabricare, vide apud Bellarminum lib. 1. de Clericis cap. 20. & duobus seqq.

